



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 5. Mores Hibernorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

§. 5. *Mores Hibernorum.*

*Victus.* Carnuori sunt fore omnes, ideoque laborant plerumque cruditate, cui malo medentur aquâ viuâ, eaque potentissimâ. Accumbunt in lectulis ubi edunt miro cum silentio. Mater numquam filium nutrit, sed dat eum nutrici atque nutricia, qui paris sunt apud alumnum cum patre, & matre estimationis. Item collactanei se magis diligunt quam fratres. Cum ægrotat alumnus ex ultimis finibus Hibernæ Nutricius aduolabit.

*Vestes.* Utuntur ferè iis variegatis. Flavum colorem plurimi faciunt; unde qui flauo sunt capillo comam nutrire solent ad ostentationem.

*Nuptiae.* Apud eos præproperæ, virgo enim quandoque nubit anno decimo. Statim ac puer nascitur ei nomen imponitur, sed numquam patris, id enim ominosum credunt. Nominibus Magnatum & nobilium praefigunt littera O.

*Artes.* Apud illos rarae, fermè enim inertes, earum loco artem furandi exercent. Cum manè exeunt domo furta sua Deo commendant optantque incidere in diuitem, quem spoliare possint. Quod intellige de exteris: nam inter se furta puniunt, & habent homunciones vili mercede conductos, qui diligenter fures inuestigent.

*Funera.* Cum quis morti proximus accersuntur præficæ quæ moribundi animam retineant. Vbi animam efflavit tota domus lamentis perstrepit, liberi, & coniux more fanaticorum vulvant. Ex bonis defuncti plus aufert, qui potentior est, & saepe patrius nepotes hereditate fraudat.

*Bella.* Quatuor habent militum genera: primum est Equitum, quorum equus dum concenditur inclinat caput, Ephippia more Clitellarum pendent. Secundum peditum Statariorum qui iurant se numquam pugnam detrectaturos; eos vocant Geleglisios. Tertium leuis armaturæ, quos nominant Karnos. Quartum est Cursorum, Daltinos appellant. Vox militaris est Pharo, Pharo. Utuntur autem fistulâ pro tubâ.

§. 6. *Politia Hibernorum.*

CERTVM putat Camdenus à Britannis occupatam primò Hi-